47096
45065/P

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ICTERO,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

BAVII VOORDA,

J. U. D. JURIS CIVILIS ET HODIERNI IN ACAD. LUGD. BATAV. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, &
Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

HIERONYMUS GOTLIEB RUDOLPHI,
TORNACENSIS.

Ad diem XV. *Decembris* MDCCLXIX. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud THEODORUM HAAK, 1769.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

V I R O
OPTIMO INTEGERRIMO
HIERONYMO GOTLIEB RUDOLPHI.
PATRI DILECTISSIMO EXOPTATISSIMO
OMNI QUA DECET FILIUM PIETATE
ET AMORE AD ULTIMUM VITAE HALITUM
VENERANDO COLENDO
ARTIS PHARMACEUTICAE ET CHIRURGIAE
EXPERTISSIMO DEXTERRIMO.

V I R O
PROSAPIAE NOBILITATE MUNERE ERUDITIONIS SPLENDORE
ILLUSTRI EXCELLENTISSIMO CELEBERRIMO
DOMINO DOMINO
DANIEL DE SUPERVILLE,
SERENISSIMO DOMINO BRANDENBURGIAE
IN SANCTIORE CONSILIO ADMINISTRO
E T
LEGATO AD PRAEPOT: ORDIN: BELG: FOEDERAT:
CAESAR: LEOPOLD: ACAD: NAT: CURIOS:
NEC NON
REG: BORUSS: ACAD: SCIENT.
E T
SOCIETATIS REG: ANGLICAN:
COLLEGAE
ETC: ETC: ETC:

VIRO

VIRO

CLARISSIMO DOCTISSIMO EXPERIENTISSIMO

DOM: DOM:

DOMINICO HUYBERS,

MED: DOCTORI ANATOMES ET CHIRURGIAE

HAGAE COMITUM

PROFESSORI CELEBERRIMO

VIRIS

OPTIME DE SE MERITIS

IN

PUBLICUM GRATISSIMI ANIMI

MONUMENTUM.

Specimen hoc Inaugurale
Sacrum eſſe jubet.

AUTHOR.

DIS:

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

ICTERO.

§. I.

Bilem, humorem excrementitium quidem, tamen in oeconomia animali valde neceſſarium eſſe, pluribus demonſtrare, aut vias in quibus praeparatur, & per quas fertur, fuſius deſcribere, ſuperfluum erit; Dum in praeſenti Inaugurali Specimine, poſitis, quae ad inſtitutum ſpectant anatomicis & phyſiologicis, non naturalem ſed morboſum ſtatum a bile inductum pertractare animus ſit.

§. II.

Morbus, de quo agere conſtitui, variis ab autoribus deſignatur nominibus. Communiter vocatur Icterus a graeco ικτερος, galgula

 no-

avicula quadam; analogia nominis potius a convenientia flavi coloris derivanda, quam uti Plinius Lib. 30. Cap. 11. perhibet, quod ſolo aſpectu avis illa icterum ſanet. Vocatur quoque aurigo ab auri colore. Arcuatus ſive arquatus, quod arcus coeleſtis colorem in oculis referat. Regius, cujus denominationis cauſa incerta. Retento communi Termino Icterum optime vocamus.

§. III.

Eſt autem Icterus Morbus ex bilis excrementitiae abundantia in ſanguine oriundus, cujus primarium ſignum eſt, cutis color naturalis in flavum mutatus.

§. IV.

Plurimi authorum icterum morbum cutaneum reputant, & inter cutis decolorationes numerant. Quo jure, equidem non video; Pari ratione exanthemata, maculae ſcorbuticae, petechiae, &c. ad cutis decolorationes pertinerent, ſicque, contra omnia ſanae pathologiae fundamenta, ſymptomata protot morbis venirent, quot in uno morbo ſe manifeſtant.

Taceam, quod vitium in ictero non, uti in cutaneis morbis, in cute ſit.

§. V.

Prius quam Poteſtates nocivas morbo huic inducendo faventes recenſeam, ad meliorem morbi cognitionem differentes ejus ſpecies, prout a Practicis annotantur, conſiderandae. Dividitur Icterus in idiopathicum, qui per ſe, ſine alius morbi praegreſſu producitur. Symptomaticum, qui aliis morbis ſupervenit & interdum criticus eſt. In benignum, ad diſtinctionem maligni a venenis inducti. Abuſiva denominatione quibusdam Chloroſis virginum albi Icteri Nomine venit. Maximi autem momenti eſt differentia Icteri flavi

&

& nigri, tam quoad ſymptomata quam prognoſin & curam, uti in ſequentibus videbimus.

§. VI

Quoad praedispoſitionem vel potius ſeminia favent Anguſtia vaſorum biliferorum; Temperamentum Cholericum, quod ſtrictiori habitu praeditum, arctiora corporis vaſa reddit; temperamentum cholerico-melancholicum, quod cum vaſis anguſtioribus ſpiſſiorem ſanguinem habet; Ipſa bilis ſeminium inſe gerit, dequo poſt fuſius.

§. VII.

Poteſtatum nocivarum numerus, quae in corpore per ſeminium jam apto Icterum producunt, ingens eſt; quae exquiſitiori ſcrutinio eo magis ſubjiciendae, cum, quam diu illae averti poſſunt, (Ill. Gaub. Path. §. 59.) praedispoſitione licet praeſente, nunquam tamen icterus naſcatur.

§. VIII.

Primariae ſunt tales, quae, aut poros biliferos obſtruendo, bilis ſecretionem è ſanguine impediunt, aut ſecretae exitum è cyſtide & communi ductu denegant. Ad priora pertinent atrabilaria ſanguinis ſpiſſitudo ob impeditiorem ſanguinis motum; obſtructio vaſorum biliferorum à materia critice ibi delata; ab inflammatione, abſceſſu, ſcirrho, lienis aut hepatis, concrementis calcareis in ipſis vaſis biliferis; Morbi ſpasmodici varii vaſculoſam hepatis texturam per conſenſum conſtringentes; podagra retrograda; colica; nephritis; menſium, haemorrhoidum ſuppreſſio & reſtagnatio in V. P. verſus hepar; motus fortior orgasmum excitans, praecipuè autem in obeſis, ſoluta, calore aucto, pinguedine, & ad hepar delata; omenti moles pinguedine multa premens, bilis liberiorem ſecretionem impediens; Graviditas; Iracundia, in primis ſuppreſſa, aut inter cibum concep-

ta; Potus frigidus calente corpore ingeſtus, ſenſum refrigerii hepati communicans; emetica fortiora, venena.

§. IX.

Conſiderationem quoque merentur remedia adſtringentia in morbis praegreſſis, febribus intermittentibus exhibita, materia peccante adhuc preſente. Perſpiratio ſuppreſſa; Clima calidum, aër fervidus bilioſas particulas in ſanguine exaltans. Moerores diuturni lentorem omnium motuum inducentes, hinc ſe- etexcretiones impedientes.

§. X.

Ipſa autem bilis vitiata ictero inducendo favet, ſi nimis tenax & viſcida fuerit. Quo faciunt cibi craſſi & glutinoſi, lacticinia, bileſcentia dulcia, frixata, pinguia, acida ſtiptica, ſpirituoſa nimia copia hauſta; quae omnia craſſum chylum craſſosque humores gignunt, & obſtructiones in hepate pariunt. Multum pariter confert vita ſedentaria otioſa, unde bilis non movetur & inviſcatur; Hinc plerumque accumulatis terreis particulis calculoſorum concrementorum origo derivanda. Non incredibile enim videtur, hominibus idem accidere, quod pecoribus hyemali tempore frequenter evenire experientia teſtatur, quum ſtabulis incluſa ſiccioribus nutriuntur pabulis, unde bilis minus mota, & dyſcraſiae vitium nacta, calculoſa concrementa admittit.

§. XI.

Febres bilioſae, cauſus & cholerica, ob abundantes orgaſticas bilioſo-ſulphureas particulas per eccriſin aliquando humore bilioſo ad cutis ſummam propulſo icterum producunt. Ictus animalium venenatorum, vel ſaltem iratorum, v. c. viperarum, icterum faciunt,

ar-

argumento obſtructionem hepatis vel cyſtidis & choledochi non ſemper anſam ictero praebere: ſed ipſius bilis naturalis craſeos permutationem plurimum concurrere. Equidem non video, quomodo viperae ictus, gravior ſaepe ira, tam exiguo temporis ſpatio, quo vix obſtructio fieri poteſt, ſubitaneum icterodem colorem producat, quam ſubtili volatili acrimonia humoribus motum fortiorem inducendo, ſanguinem colliquando & bilioſas particulas in ſanguine a compedibus liberando; quo jam ſecretae bili ſimul fortior impreſſus impetus multum facit, ut ſanguini admiſta (non vero ut ante ejus ſecretionem permiſta) exterioris ſuperficei colorem mutet & bilioſo tingat. An alteratio ſpirituum animalium ſub graviori excandeſcentia obnata aliquid contribuit? Obſcurum per aeque obſcurum explicat.

§. XII.

Pro hac ſententia, icterum non ſemper ex obſtructione naſci, primo militat, quod ex phyſiologicis manifeſtum ſit, bilem è ſanguine tam arterioſo quam venoſo ſecerni, adeoque licet non evolute tamen materialiter in ſanguine exiſtere, aliis materiebus intime intermiſtam.

Quidquid igitur vi pollet, qualis ſpecifica in quibusdam venenis, non quidem à priori, attamen à poſteriori, manifeſta eſt, bilis materiem à vinculis ſuis liberandi, icterum producere poſſe cenſeo, absque officinae cholopojeticae vitio. Nec repugnat objectio, talem mutationem in ſanguine extra corpus animale iſtorum venenorum admiſtione produci non poſſe, cum nec ullo praecipitante remedio ullus humore ſanguine extra corpus talis generari poſſit, qualis à natura in vivo generatur.

§. XIII.

Alterum, quod ſententiam hanc probare videtur, eſt alvus, quae quidem plurimum albicantes deponit feces, attamen interdum primo jam a morbi initio tinctas, biliofas. Quod fieri omnino non poſſet, praeſente obſtructione bilis officinae. Niſi quis, quod autem obſervationibus nondum eſt comprobatum, dicere velit, retenta ex obſtructione bile omnes humores tingi, hinc & liquores menſtruos inteſtinales glandularum, unde feces tingantur.

§. XIV.

Secretae bilis è cyſtide & ductu communi choledocho excretionem impediunt praeter allegata, calculi fellei, ſaburra primarum viarum; pancreatis ſaliva viſcidior; vermes choledocho ſe inſinuantes; abſorbentium terreorum abuſus; duodeni inflammatio; fecum alvinarum retardatio, Atonia cyſtidis, unde ejus vis expultrix languet; Coalitus ductus cyſtici vel communis.

§. XV.

Infantes ſaepe cum ictero naſcuntur, muliercularum gaudio, quae, quo magis ſunt flaveſcentes eo albicantiores fieri exiſtimant. Interdum aliquot dies a partu demum icterici fiunt. Ratio nulla alia eſt, quam meconii ultimo ſub graviditatis tempore accumulatio, unde vel choledochi apertura obſtruitur, vel ex ipſis inteſtinis bilioſa materia reſorpta Maſſae ſanguineae redditur. Annotati ab autoribus caſus poſt partum laborioſum infantes icterode colore eſſe natos, ſuſpicionem mihi praebent, ipſos forte ſpaſticos fetus ad prodeundum conatus ductus biliarios ſic conſtringere poſſe, ut bilis in Maſſam ſanguinis regurgitet. Facit quoque in jam natis praeter meconii retentionem choledochi à lactis coagulo obſtructio.

§. XVI.

§. XVI.

Ex his cauſſa proxima Icteri facile patet, quod ſit bilioſi excrementitii humoris in ſanguine abundantia.

§. XVII.

Symptomata pathognomica Icteri primum in oculis ſe manifeſtant, qui aureo colore imbuuntur, ut & ungues ac manuum volae. Res albae aegris flavae apparent. Praecedunt autem plerumque (niſi à graviori cauſa producatur) totius corporis laſſitudo, hypochondriorum in primis dextri dolor, praecordiorum anguſtia cum ſpirandi difficultate. Ubi animi excandeſcentia malo anſam praebuit, leves horripilationes ſentiuntur, & ſtricturae in ſcrobiculo cordis cum dolore cardialgico. Icteritius color poſt toti corporis ſuperficiei conciliatur, & ſaepe tempora, venae raninae, maxime flavescentia obſervantur. Pruritus totum corpus, in primis dorſum, vexat. Pulſus morbo jam praeſente lentus eſt & debilis. Urina indubitatum ſignum praebet, turbida, craſſa, crocea, lintea flavo colore tingens, & conquaſſata ſpumescens aſſervata flavedine.

§. XVIII.

Alvi officium inconſtans eſt; modo ſiccior, modo laxior obſervatur. Siccior, fecibus albicantibus, argillaceis, ubi bilis viſcida & tenax, atque obſtructio praeſens. Laxior bilioſa vero, ſi à raritate & effuſione bilis, ictibus venenatis, febribus cholericis, productum fuerit malum.

§. XIX.

Concomitantia ſymptomata ſunt, ſenſibilitas corporis ad leviſſimam

mam ventilationem aëris, quin ſaepe motus febriles; Dolores cephalalgici, vertiginoſi; Oris amarities ſiticuloſa; in graviori malo ſaliva glutinoſa, crocea; Anorexia; Vomituritiones, quin actuales vomitus. Somnus turbatur, animus languet. Difficulter ſudant, & ſi adeſt ſudor, etiam hic linteamina flavo imbuit colore. Haec in flavo.

§. XX.

In nigro omnia Symptomata habentur graviora.

Color oculorum & corporis è flavo nigricat, tetro aſpectu. Corporis animique vires ſummopere languent; Urina mingitur parca; nigra, turbida, ſedimentum croceum deponens. Hypochondria, ſiniſtrum in primis gravativus occupat dolor; Calor tectus, ſummopere moleſtus, continuus, exſiccans, aegrum diſcruciat. Jungitur ſaepe lienteriae ſpecies, ſi bilis fuerit effuſa, cum doloribus colicis. Tandem febris hectica, aegrum conſumens, ſcenam claudit.

§. XXI.

Prognoſis icteri pro potentiis nocentibus & ſpecie variat. Niger ſemper periculoſior flavo. Infantum, gravidarum, leviſſima ſpecies. Qui ſolus oritur flavus, ſine praegreſſo alio morbo, ex ſanguinis haemorrhoidalis, menſtrui, verſus hepar reſtagnatione, his excretionibus reſtitutis ſolvitur. Hinc & haemorrhagia narium ab initio hujus ſpeciei contingens, bonum praebet ſignum. Sudor copioſus, urina copioſa, diarrhoea, critica ſcilicet, cum euphoria, bona ſunt: Malum contra, ſi urina fuerit aquoſa, tenuis, vel farinoſa, tenaciter materiam inhaerentem & cruditatem ſignificans. Coloris mutatio in viridem poſt citrinum bona; ſi vero flavedo in albedinem mutatur, manentibus ſymptomatibus, hepatis indurati ſignum praebet. Qui autem aliis morbis inflammatoriis ſymptomaticus ſupervenit, niſi

ſi-

ſimul alia coctionis ſigna ſe manifeſtent, lethalis; hydropicis vero icterus inſtantem mortem annunciat. Febris ictero ſuperveniens acuta ſemper anceps, aut morbum aut aegrum tollit. Deliria accedentia, continuae agrypniae, phrenitidis metum incutiunt. Generaliter, ni icterus quatuordecim dierum ſpatio ſolvatur, vel in mortem tranſit, vel alios morbos, hecticam, aſcitem, cujus ſigna praebent ſpirandi difficultas aucta, hypochondriorum tumor, aſthma ſpaſticum. A venenis inductus lethalis eſt; Qui rebellis valde, chronicus aut recidivus, calculos felleos plerumque denotat.

§. XXII.

Niger, graviorem viſceris obſtructionem ſupponens, raro niſi in junioribus curabilis. Qui a quartana intermittente ortus, funeſtus. Haemorrhagia narium malum in nigro ictero praebet ſignum viſceris laeſionis, & tales haemorrhagiae facile vehementer excedunt. Non niſi ſudor & urina coctionum ſignis ſtipata, febris abſentia, ſitis & calor non adeo intenſus, ſpem faciunt. Cuticula, ſi bene ſucceſſit morbus, ultimo abraditur, plerumque tamen per totam vitam teter corpori remanet color.

§. XXIII.

In curatione icteri generalis therapia non adeo dari poteſt, ſed illa ad cauſas dirigenda. Ubi icterus ex concepta ira hinc natis ſtricturis ſpaſticis ortus, talia exhibenda ſunt, quae ſtricturas relaxant, & bilis excretionem promovent, decocta avenacea, hordei, ſera lactis, decocta ex radice Liquiritiae, Cichorei, Graminis, ex quibus cum fructu enemata quoque applicantur. Cavendum hoc in caſu quam maxime ab emeticis, & tantum ea quae ſpasmos componunt exhibenda. Hinc & conducunt externe veſica decoctis emollientibus calidis plenae, ex lacte cum floribus Verbaſci, Chamom. herbaque

meliloti confectis. Dictis internis jungenda ſunt lenia laxantia; Rhabarbarum & ſalina digeſtiva abſorbentibus remixta, tartarus Vitriolatus, Cremor tart. ſal Seignette, Magneſia, Cancrorum Lapides. Laudantur quoque balnea ex cham. Origano, Chelid. maj. Lapatho acuto, Sigill. Sal. aqua fontana coctis. Nec aliena erunt lenia anodyna parca doſi exhibita. Febris autem, licet non praeſens, ſemper talibus avertatur, quae bilis incendium, ſi ita loqui fas eſt, praecavent, Nitroſis, tamarindinatis &c.

§. XXIV.

Si vero icterus a venenis aut materia quadam acri, v. c. draſticis emeticis ſubortus fuerit; dicta ſalina nocent, & emulſivis, mucilaginoſis, emollientibus, leniter diaphoreticis militandum. Ubi in prima culina venenum per os aſſumtum adhuc haeret, leniſſimum emeticum ex Ipecac. vel ſolo lacte cum oleo amygd. dulc. ſtatim exhibeatur, a fortioribus autem emeticis ſtibiatis abſtinendum. Si autem venenatus ictus icterum induxerit, cucurbitulae ſiccae, ſcarificationes, vulnere per aliquot tempus aperto ſervato, ligaturae, ſi datur acceſſus, arctiores, quibus venenatae aurae progreſſus arceatur, proſunt quidem, ſed eo ipſo momento, quo ictus factus eſt, fieri debent.

Si maſſae ſanguineae venenum jam fuerit redditum, talia in uſum vocanda, quae per cutis cribrum venenum eliminant, junctis acrimoniam obtundentibus. Caveatur vero à calidis, ſanguinem commoventibus, quae febrem ſuſcitant, malumque exaſperant.

§. XXV.

Ubi icterus bili viſcidae glutinoſae aut ſaburrae cuicunque vias excretorias obſtruenti originem debet, exhibenda ſunt diluentia, reſolventia fortiora, interpoſitis laxantibus. Spectant huc radices

Vin-

Vincetox. ari, pimp. alb. curcum. graminis, cichor. Tarax. vel 5. aper. interquas praecipue Rubiae Tinct. radix extollitur. Herbae capillares, abſinth. Centaur. min. chel. maj. cum ſalibus neutris & alcalinis, terra fol. tart. ejus liquore; Rhabarb. Saponacea; Gummata reſolventia, Ammon. Sapap. Galb. pillulae ad methodum Beccherianarum confectae. Ex dictis Herbis infuſa parari poſſunt cum ſem. foeniculi, Coriandri, in vini & aquae aequali portione facta. Semper autem a lenioribus incipiendo, & a fortioribus, materia nondum mobili, aut praeſente febre, abſtinendo.

Alvus etiam enematibus moneri potest Ubi de mobilitate materiae conſtat, lene emeticum ex uſu eſt. Quam primum corporis color mutatur, urina craſſa critica eſt, & feces albae iterum coloratae, praedictis remediis immiscenda vel interponenda erunt roborantia, inter quae palmaria ſunt ex marte petita; nec Cortex peruvianus hic rejiciendus.

§. XXVI.

Gravidarum icterum partus ſolvit, Venae ſectio autem ante inſtitui poteſt. Infantibus ictericis exhibenda ſunt, coloſtrum, ſyr. è Cich. cum Rhab. & ſi lactis coagulum choledochum obturaverit, ſapo cum lacte exhibendus. Anthelmintica icterum à vermibus ſubortum ſanant.

§. XXVII.

Longe autem aliam tractationem requirit icterus, cui febris aſſociata eſt. Haec vel ex genere lentarum vel ardentium erit. Prior viſceris obſtructionem denotat, & nigri plerumque comes eſt. Fons diaeteticus plus hic praeſtabit, quam pharmaceuticus. Sera lactis, victus vegetabilis, poma cocta & quae hujus generis ſunt. E medicamentis abſorbentia, decocta avenacea cum leniter alvum ducentibus, tamarindis, Rhabarb. Cremor. tart. ſi febris ex arden-

tium ſtirpe, tota methodus antiphlogiſtica, uti in febribus ardentibus, adhibenda.

§. XXVIII.

Ex inflammatione hepatis natus icterus, ſi criticus, curam non exigit. Si ſymptomaticus, inflammatione in abſceſſum degenerata, vix ac ne vix quidem medelam admittit. Dari poſſunt decocta acidula hordei, avenae cum citri taleolis, vel eorum ſucco expreſſo, paſſulis, Tamarindis. Ubi abſceſſus extrorſum vergeret, obſervatum eſt, ejus apertionem feliciter aliquando ſucceſſiſſe.

§. XXIX.

Calculi fellei bilis exitum impedientes, ut difficulter praeſentes cognoſcuntur, ſic & dificulter tolluntur. Antecedaneis in cenſum vocatis dolor localis continuus, & lentus icteri origo, calculos plerumque declarant.

Lithontriptica hic, ut alibi, efficaciam nullam praeſtant, cum natura, materies ſcilicet, horum calculorum, ſit varia & ſanguis arterioſus pauciſſimus. Cum autem ex ſpiſſa bile originem ſuam ducant, dari poſſunt talia, quae ſpiſſitudinem attenuant, ſera lactis, ſaponacea, decocta radicum & herbarum emollientium praecipue recentium; Emulſiones; quae emolliente & blanda anodyna vi calculoſis concrementis vias relaxent; cui apprime conveniunt enemata, balnea, fomenta.

§. XXX.

Venae ſectio ictero curando non convenit promiſcue. Ubi enim calculi, vermes, ſaburra, vias biliferas obſtruunt, hae venae ſectione aperiri nequeunt. Ubi vero inflammatio febris ardens, ſangui-

guinis haemorrhoidalis, menſtrui reſtagnatio, ſtatus plethoricus urgens, virium habita ratione, V. S. inſtituta omnem reliquam curam, complicationem tollendo, facilitabit, & praecipue in haemorrhoidum, menſium ataxiis, menſtruo tempore, junctis reſolventibus & martialibus conducit.

§. XXXI.

In omni praeterea ſpecie victus ratio non negligenda, cum nullum tam validum ſit medicamentum, ut Galenus egregie monet, quod ex ſe commodum praeſtare poſſit, ſi reſiſtatur ab iis, quae circa victum ſunt, aut ab his non adjuvetur. Caveatur ab omnibus, quae ventriculum aggravant, crudumque gignunt chylum. Exhibeantur juſcula cum carnibus juniorum animalium (quae vero conſummata eſſe non debent) incoctis herbis reſolventibus, petroſel. turionibus vel rad. aſpar. cichor. cum ſemine foeniculi. Vires vino rubro aqua temperato intendantur: In calida autem bilis intemperie vinum exulet, & victus tenuis, qualis in inflammatoriis & acutis convenit, ſeligendus. Morbo tandem feliciter ſuperato apotherapia fiat continuato roborantium uſu, interpoſito ad reliquias educendas leni laxante Rhabarbarino; perſpiratio medicamento diaphoretico facilitetur, maxime autem corpus debite exerceatur.

§. XXXII.

Pauca reſtant de decantatis quibusdam ſpecificis in ictero dicenda, qualia habentur Radix curcumae, abſinthium, Chelid. maj. & minus; Fumaria; Marrubium album; Rubia Tinctorum; Lumbrici terreſtres, & quae plura ſunt, quorum recenſioni ſuperſedeo. Tamen non reticendus eſt pretioſus ille hyſtricis lapis, de quo Mich. Bernh. Valentini, Celebris Germaniae Medicus, in tractatu de polychreſtis exoticis plura ſcripſit.

§. XXXIII.

Si modum agendi horum medicamentorum conſideramus, omnis ſpecifica virtus cadit; Tum enim demum ſpecificam praeſtant virtutem, ſi exhibeantur, ubi reſolvendum, aperiendum & roborandum eſt. Sunt enim praedicta ſpecifica vel diaphoretica, uti fumaria; vel reſolventia & diuretica, uti lumbrici terreſtres, vel adſtringentia, uti Rubia Tinct. Illa autem amara (quo vel ex Pharmacopoeja ſtercorea a quibusdam laudata remedia pertinent) dum bileſcentia ſint, nunquam ſperatos edunt effectus, niſi tali tempore exhibita, ubi ex viſciditate bilis, ſecretione hac impedita, ejus defectum reſarciunt, uti doctiſſime jam annotavit Celeberr. Frid. Hoffmannus in Syſt. Rat. Tom. IV. Part. IV. p. 367. 368. Bilis, licet materialiter in ſanguine contineatur, aliis obvoluta materiebus, evoluta tamen, humoribus admiſta, ſemper morboſum ſtatum producit. In chylo enim ne veſtigium ejus reperitur, ſed vi naturae coctricis in hepate ſolum praeparata invenitur. Hinc in corpore id praeſtare videtur, quod chylum a fecibus praecipitationis chemicae ſpecie ſeparet, & ſtimulo ſuo harum excretionem promoveat, cum quibus ipſa excernitur. Cum autem in ictero, a bilis rarefactione ſuborto, nullus defectus, ſed potius abundantia, adſit, patet, quam gravia mala à talibus medicamentis venire debeant, quae bilem adaugent; e contra, in bilis defectu, chylificationem promovendo, bonos corpori humores ſuppeditant, quibus natura corpori ſuo proſpicere poſſit. Nec ulla alia eſt ratio, cur amara inter optima anthelmintica militent. Nunquam, bilis craſi rite conſtituta ulli ſeminio verminali intra inteſtinorum cavum remora erit. Patet porro quoque, qua circumſpectione vel ab optimis authoribus commendata remedia ſint exhibenda, & optime illos agere, qui medicamenta non pro celebratis Materiae Medicae Scriptorum laudibus, ſed pro medicamenti viribus intrinſecis,

cis, cum vitiatis in corpore humoribus comparatis, exhibent.

Etenim

Temporibus Medicina valet, data tempore proſunt;
Et data non apto tempore, multa nocent.

FINIS.

THE-

THESES.

I.

Bilis nunquam in ſtatu ſano ſanguini ineſt.

II.

Non omnis urina flava icterum teſtatur.

III.

Calculus felleus reſolvi remediis nequit.

IV.

Specifica abſoluta vix dantur, quae omni tempore talia ſint.

V.

In omnibus verminoſis bilis juſtam craſin non habet.

VI.

Feminarum thoracica plurimos ſaepe morbos inducunt.

VII.

Pultes, quae infantibus exhibentur, quam plurimis morbis viam ſternunt.

VIII.

Anthelmintica ſunt optima antiſcabioſa.

HONORI ET MERITIS

NOBILISSIMI AC DOCTISSIMI

D O M I N I

HIERONIMI GOTLIEB RUDOLPHI,

Quum ſummi in Medicis honores ipſi deferrentur.

Gloria vera locum celſa ſibi legit in arce,
  Quo ſine difficili non datur ire gradu.
Deſpicit illa gravi torpentia Corda Veterno;
  Sed patulo Vigiles excipit ipſa Sinu.
Hos locat in Summo poſt taedia plurima Colle;
  Hosque triumphali frondis Honore beat.
Roma vetus didicit generoſos Martis Alumnos,
  Muneribus, Patrio more beare tribus.
Hos laetis phaleris, vel fulvis torquibus auri;
  Geſtiit in certo condecorare die.
Illis ter gemino cinxit Diademate frontem,
  Haec meruit Miles Laurea Serta Vigil.

Summus ſed fuerat Splendor quadriga Triumphi,
Qua tenuit vectus Victor in Arce locum.
Has meruere Viri laudes, haec dona laboris,
Quorum in pectoribus Martius ignis erat.
Aſt ne ſola ſuos Lauri jactare Triumphos,
Roma velit, Lauri Te quoque ſignet honos.
Nam Tua de ICTERICIS quantos dant ſcripta Triumphos
Palladis, hos nullus miles adulter habet.
Haec Tibi juſta precor pariat victoria Palmam,
Palmiferas ſegetes victor ubique metas.
Atque Triumphali curru Capitolia pulſes,
Victrici vibrans ſplendida Sceptra manu.
Et feriat Tua Vertice Sydera fama ſerena,
Laudes ſuſcipias, dum perit una, novas.
Mox ubi committes flabris Tua Carbaſa laetis;
Ne naulum de Te lurida Cymba petat.
Aſſidue ſed Te melior fortuna reducat,
Ut fauſtis avibus concitus ire queas.
Non Te ſit Zetes, Calaisve citatior ullus,
Teque Dolon curſu ſentiat eſſe parem.
Te Tua criſtatos virtus experta labores,
Feſtinet magnis adnumerare viris.

φιλίας ἕνεκα.